

OK 546

II R
3486

COLLEGGII JURIDICI
 IN
 ACADEMIA WITTEBERGENSI
 h. t. DECANUS
**G. MICHAEL
 HEBER, D.**
 BENEV. LECT.
 S. P. D.



VITTENBERGÆ,

Typis MATTHEI HENCKELII, Academ. Typogr.



V007





Q. D. B. V.



Non incertum est, quod Gallus quidam Poëta commentum refert: Viatores duos unà iter facientes forte in Ostream incidisse, cum ecce subito coortæ lites, quolibet istorum eam Inventionis jure suam esse dictitante. His altercantibus illicò *Justitiam* advolâsse, suas inter litigatores administraturam partes. Auditâ igitur causâ, & cognitis, quæ pro se quisque afferebat, argumentis, ubi diu multumque librâ, quam pro consuetudine manibus tenebat, utriusque jura expendisset, tandem aperuisse Ostream, & absorptâ, quæ intus erat, carne, vacuum cuique dedisse testam, ac ut suum sibi quisque teneret, quietique deinceps agerent, jusfisse. Appositè prorsus & eleganter in Morem seculi nostri, quò Judices & Magistratus non ut olim salarium è publico accipiunt, sed privata iis compendia sectari permittitur, Poëta lusit. Quâ corruptelâ judiciorum manente, alter profectò evenire nequit, quàm ut miseri litigatores præda judicum fiant, ac ubi diu inter litis infractis hæserint, jactatiq; fuerint, postquam tandem controversia ex regulis artis ad finem addu-



adducta est, maximâ cum rei familiaris jacturâ serò
admodum sentiant, Bovem Justitiæ immolandum
fuisse, ut vitulum, qui petebatur, obtinerent. Quod
ipsum tolerabile esset tamen, si soli avaritiæ judicium
paterent. Nunc autem, ut Martialis ait: *Et judex
petit, & petit Patronus.* Atq; hic quidem multò
cupidius, quàm judex, quod in hoc non æquè ut in
Advocato omnes spes opesq;ve suas Clientes fitas ef-
se non temerè credunt, qui ipsis propterea omni ra-
tione ac studio fovendus est, ne quid in partibus of-
ficii sui ad obtinendam victoriam desiderari patia-
tur. Jam tum, quum Constantinus M. rerum po-
tiretur, Advocatorum aviditas eò progressa impu-
dentia erat, ut non prius linguam venalem suam ali-
cui addicerent, quàm de meliore fortunarum par-
te cum Cliente pacti essent. In quam rem memo-
ratu digna Constitutio extat in *Cod. Theodos. l. 2.
tit. 10. de Postul. Advocatos, qui consceleratis
depectionibus suæ opis egentes, spoliant atq; denu-
dant, non jure cause, sed fundorum, pecorum,
& Mancipiorum qualitate rationeq; tractatâ,
dum eorum præcipua poscunt coactâ sibi pactione
transcribi, ab honestorum cœtu judiciorumq; con-
spectu segregari præcipimus. P. P. VIII. Id. Mar.
Constantinop. Constant. Aug. III. & Constantio
Coss. Quem ad locum eruditè, ut solet, Jacobus
A 2 Godo-*

Godofredus eorum errorem notat, qui de peccationem, cujus constitutio mentionem facit, de Pacto de Quotâ Litis interpretantur, quando *ex ipsis negotiis*, quæ tuenda suscipiunt, Advocati emolumenta certæ partis poscunt & paciscuntur, cum longè aliter se res habeat, & hîc illud perstringat Imp. pactum, cum Advocati *Bonorum presentium Clientis præcipua* sibi transcribi coactâ pactione suscipiendos in fidem adigunt. Nempe subtile admodum ingenium Malitiæ & avaritiæ est, nec unò contentum modo, quò libido habendi expleatur; & quod de Prometheo in fabulis accepimus, eundem semper & alium novasse subinde & in figuras ac facies varias se convertisse, commodissimè omnium de Advocatorum solertiâ explicari posse mihi videtur, qui pro conditione personarum ac rerum fingere ac commutare artes suas valent. Ut verò maximè hujusmodi de peccationes, quarum Constantinus M. meminit, fortè rarius hodiè frequententur, dum paucissimi sibi persvaderi sinent, ut pro non certissimo lucro certas Possessiones in hac præsertim opum penuriâ dimittere velint, habentur tamen in usu aliæ magis arcanæ artes minusque vulgares, quæ in pollicitationibus & protrahendo callidè jurgio maximam partem positæ sunt; quibus id efficiunt versuti homines, ut si quem intraretia ceperint, mille cassibus impediunt, & adeò,

qui

qvi semel perire noluit, lentâ morte conficiatur.
Rati, dum ita tempori inserviunt, id quod caput
prudentiæ eorum est, fore, ut aut Actor interim
aut reus moriatur, aut Partes in concordiam redi-
gantur, aut certè aliquid aliud fiat, quò minus tan-
quam manifesti impostores in flagrante perfidiâ de-
prehendantur. Sed non fert instituti mei ratio, ut
in infames Advocatorum fraudes pluribus digredi-
ar, quarum nec numerus iniri potest, cum malus a-
nimus, ubi intenditur, infinitas subministrare pos-
sit, nec ut ineatur, necesse est, cum summa earum
capita, in quæ tanquam in speculum, qvi ad istum
Ordinem pertinent, inspicere possunt, Magnificus
DN. ZIEGLERUS in Rabulisticâ attigerit & in
clarâ luce videnda collocârit. Ac ne de illo qvi-
dem Advocatorum genere, qvi, præterquam quod
ex fraudibus atqve malitiâ toti compositi sunt, o-
mnium bonarum artium Jurisqve disciplinæ juxtâ
cum ignarissimis periti, Ignorantiam tamen suam
apud indoctum vulgus dissimulare callidè norunt,
verba facere animus est; qvi, ubi ad auditorium ju-
dicis sopiendæ per compositionem controversiæ
causâ ventum est, vel inconditâ vociferatione &
verbis nihil significantibus id efficere student, ut
Clientibus suis disertis esse ipsorumqve causæ cum-
maximè servire videantur, vel tribus Exceptiuncu-
lis omnem Eruditionem frigidissimamqve facun-
diam

diam suam consumant ; quibusque adeo, absque
Exceptione *Legitimationis*, *Guarande*, *Satis-*
dationis item pro reconventionem & expensis
si foret, jamdudum res ad restim rediisset, permul-
tis certe compendiis male quaesitis fuisset caren-
dum. Quos tamen excusatius multo peccare existi-
mo, quam qui singularis Pietatis obtentu susce-
ptos suos sibi adjungunt, ac Deum, quem non
credunt, tertio quoque verbo interpolant, & con-
scientiam, quam haud meliore, quam qui eam prorsus
carent, utuntur, apud incautos jactant, eamque ratio-
ne id consequuntur, ut ne aquam quidem petitem
Clientes nisi de ipsorum consilio exeant ; quibus
nulla capitalior pestis excogitari potest, quando-
quidem his artibus sibi fidem praestruunt, ut dein-
de cum operae pretium est, magna cum mercede fal-
lant. Cujus generis homines, cum in judiciis ver-
sari & contra consistere videas, non injuria, quod
Catonem in Aruspibus mirabile visum est, mirere,
quod Advocatus, cum Advocatum videt, non ri-
deat. Sed non patitur me diutius in Advocos de-
clamare Candidatus noster, quorum laudes a me
commemorari mavult, cum Craetino die Eorum
causam gravi ac luculenta oratione agere in ani-
mum induxerit. A quo tamen minime gentium
dissentio, quod & ipse Eorum saltem defensionem
susce-

suscepturus sit, qui fidem cum veritate tuentur, qui non quoties superent, sed quemadmodum vincant, inquirunt, qui non magis Boni Caussidici quam Boni Viri esse cupiunt. Quod nomen innumerabilibus officiis cum Cicerone contineri existimo. Nam & innocentiam morum, & literarum peritiam & summam fidem in eò requiro, ut ne quid cupidè aut avare agat, aut per ignorantiam admitat. Quibus ornamentis qui abundant, eos non tantum summis ad cœlum laudibus vehendos duco, verum etiam Reipubl. maximo emolumento esse judico. Et verò quis neget, summam in literis & juris præcipuè studio peritiam in Advocatis requiri, cum postquam ex ratis Sententiis certoque ordine causas Privatorum definiri placuit, controversiæ non nisi ex intimâ Jurisprudentiâ disceptari possint. Quamquã enim sine Caussidicis satis felices olim fuisse futurasque esse Urbes Columella dixerit, prætereà autem vis magna sit veritatis, ut suis præsiidiis firma aut nihil aut non admodum externa auxilia requirere atque adeò sufficere videatur, si Homines, modò sensu communi valeant, rem, ut gesta est, judici æqui jurisque amanti dilucidè exponant; negari tamen non potest, cum ad naturam ratio quædam ac confirmatio doctrinæ accesserit, eam rem & litigatoribus ad aptè narrandum & judici ad recte ac sine erroris formidine judican-

9477A 2786

candum, quæis duobus tota ferè ratio judiciorum
continetur, permultum ad jumentum allaturam.
Ac si cetera omnia argumenta, quæ pro Advo-
catis colligi solent ac possunt, parum ponderis ad
persvadendum summam Eorum utilitatem habe-
rent, unum certè illud nullâ ratione convellendum
ac prorsus invictum est, cum ars nihil aliud sit,
quàm ratio recta ad summum, quò eniti potest, fa-
stigium perducta, fieri non posse, ut artis ignari æ-
què rectè aut etiam meliùs rem tractent, quàm qui
eam toto vitæ tempore maximis vigiliis summâq;
cum industriâ didicerunt? Et quis non ultrò conce-
dat, nisi tamen quis forte nimium pertinax in
non temerè credendo fuerit, multò melius cum iis
agi, qui, postquam causâ ex regulis artis & secun-
dum præscriptum Ordinem ac formam disceptata
ac judicata est, eâ cadunt, aut superiores exi-
stunt, quàm si idem sine anxîâ isthâc & sinuosâ
disceptatione contigisset? Quum itaq; Ad-
vocatos, qui muneri suo & dignitati ejus respon-
dent, vehementer probem, si quis forte illud mihi
vitio vertendum putaverit, quod istos fraudum fal-
laciârumq; Architectos Advocatorum nomine ap-
pellaverim, is meminerit, non esse novum, ut opti-
mæ notæ vocabula rebus indignissimis hæreant.
Quantum est nomen Oratoris! At non rarò talis au-
dit, qui in inveniendò frigidus, in disponendò præ-
po-

posterus, in eloqvendo barbarus, in pronuciando ridiculus est. Quanta porro dignitatis Doctoris titulus! At persapè eò superbit, quem, cum aspera fors Asinum fecisset, Asinum manere oportebat. Sed revertimur ad Candidatum nostrum DN. JOH. JACOBUM MEIS, doctrinâ moribusq; excultissimum Juvenem, in quò nihil adeò ad perfectionem Juris Candidati deest, ut multa etiam supersint. Is igitur, ut paucis exponere ingrediar, quæ hoc loco afferri Mos Majorum postulat, Marisfeldii natus est, Patrem nactus Perquam Reverendum Virum DN. JOH. DANIELEM MEIS primùm Marisfeldii Pastorem, deinde Diaconum Schleusingensem, meritis dum viveret, in Ecclesiam Christi clarissimum, Matrem CHRISTINAM ELISABETHAM, ex perantiquâ & celebri Glumpe-rianâ familiâ oriundam. Qui optimi indulgentissimiqve Parentes id sibi cum primis negotii datum crediderunt, ut nihil prætermitterent, quod & ad veræ pietatis disciplinâ imbuendum puerum, iisq; artibus erudiendum faceret, quæ in omnes vitæ partes utilitates suas diffundunt. Commissus eam ob rem fuit Optimorum Præceptorum fidei in Gymnasio Patrio, quod tum Plur. Reverendus DN. D. JOHANNES PRETTEN, Superintendens ac Ephorus, hoc temp. Pastor Primarius Numburgensis, & CL. DN. JOH. ERNESTUS SCHADE,

B

DE,



DE, immortalis cum laude moderabantur; Quo-
rum in se fidem & Benevolentiam mirifice extollit,
neq; unquam Beneficiorum ab his in se collatorum
immemorem fore promittit. Præcipue cum eorum
Institutione eò se profecisse recordetur, ut Anno
MDC LXXXII. in Academiam Lipsiensem con-
ferre se jam tum Excellentissimorum Professorum
Auditor idoneus posset. Ne quid igitur per socordia
periret temporis, complexus animo Jurispruden-
tiæ magnitudinem, se id, quod expetiit jam inde à
primò studiorum cursu decus, aliter consequi non
posse confidit, quàm si Justitiæ injustitiæque in-
dolem primum omnium è Scholis Philosophorum
hauriret. Quocircà Maximi nominis ac omni lau-
de & honore cumulatisimos Viros DN. D. VA-
LENTINUM ALBERTI, & DN. L. OTTO-
NEM MENKENIUM, adeundos sibi assidue cen-
suit, quorum operâ ad excolendum Philosophicis
doctrinis animum uteretur, ac id assequeretur, ut
deinceps summos Doctores, & qui Illustribus in
rem literariam ac publicam meritis jam tum im-
mortalitati suæ vivi intersunt, Magnificum DN. D.
JACOBUM BORNIUM, & DN. LEON-
HARDUM SCHVVENDENDORFERUM,
publicè differentes maximo suo cum fructu audire
posset, cum ille Juris Canonici reconditiora, hic
de

de successione Saxonica argumentum interpreta-
rentur. Præterea autem, quicquid ad interiorem
ac solidam Jurisprudentiam pertinet, quicquid ad
fori prolationes spectat, id omne se ex Viris Ce-
leberrimis DN. D. ANDREA MYLIO, DN.
D. CHRISTIANO THOMASIO, DN. D.
FRID. PHILIPPI, DN. D. Q. S. FL. RIVINO,
DN. D. LUDERO MENKENIO didicisse refert,
e quorum ore sedulus pependit. In nostram Aca-
demiã cum venisset Generosi DN. à MILTIZ,
studiorum Ephorus ac Comes capacissimam indo-
lem suam inprimis Magnifico DN. ZIEGLERO,
Patrono nostro de nobis optimè merito proban-
dam existimavit, cujus lateri, cum is FRANCISCI
de ROY, Institutiones Juris Canonici explicaret,
assiduus Auditor hæsit. Publicè de Domaniis ver-
ba facienti DN. VVILHELMO LEISERO,
Excellentissimo & exquisitissimæ Eruditionis Viro,
cujus memoria post fata nobis semper sanctissima
erit, diligentissimè assedit. Præter ceteros autem
ducem ac Magistrum studiorum, cui se penitus da-
ret, delegit Nobilissimum & Excellentissimum Vi-
rum DN. D. JOH. HENRICUM BERGE-
RUM, h. t. RECTOREM MAGNIFICUM,
quò interpretante cum Positiones HUBERI ad
Institutiones & Digesta, tum SCHNOBELII Di-
spu-

sputationes Feudales in succum & sanguinem con-
vertit, ac ut de præclaris profectibus testimonium
publicum extaret, *de TRANSMISSIONE HE-*
REDITARIA Dissertationem à se conscriptam, Eò
Præside masculè defendit. Non ita pridè est, cum ab
Ordine nostro modestè petiit, ut in Candidatorum
numerum reciperetur; Cujus honestissimo desi-
derio cum assentiremur facilè, dies statim primo
Examini dictus fuit, in quò se eum præstitit, qua-
lem fore speraverat Collegium, Doctum nempe,
in respondendo ad Quæsitum promptum & ad enu-
cleandam Jurisscientiam à naturâ factum. Cras
Horâ IX. ex More Orationem habebit, in quâ
de Utilitate dignitateque Advocatorum gra-
viter perorabit. Ad quam audiendam ut
MAGNIFICUS ACADEMIÆ RECTOR,
reliquique PATRES VENERANDI ac
CIVES denique ACADEMICI frequentes
convenire haud gravatim velint, majorem in mo-
dum omnes ac singulos rogo oroq; A Meridie Ho-
râ I. publicè l. 2. *C. de Pact. inter Emt. & Vend.*
explicabit, Quod Nobilissimis Commilitonibus,
qui ipsi operam dare benevolè volent, significan-
dum fuit. P.P. DOMINICA VIII. post
TRINITATIS, Anno c l o l o c
LXXXIX.

OK 546

II R
3486

COLLE
ACADEMIA
h. t. I
G. MI
HE
BEN

NSI
EL



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(BAALE)

V077

